



1. De Titulis honorificis. J. H. Klotz.
2. de potestate legio in Principem. J. V. Beckmann.
R. J. B. Friese.
3. de aerario militari ^{an} do ^{trigeb} lausa. P. A. Huv.
R. F. W. Leidenfrost.
4. de statutis et consuetudinibus J. C. Falckner. R. C. L.
Reichenbach
5. de differentia juris veteris et novissimi. S. Stryk,
R. J. F. Döttien
6. de differentia juris civilis et canonici. S. Stryk. R. G. Felovig.
7. de jure operarum. ^{non} ^{pro} ^{judicantibus} ^{et} ^{istis}. W. Beckmann.
R. J. N. Schmeltzer.
8. de vagantibus scholasticis. ^{non} ^{fas} ^{formis} ^{de} ^{sultis}. J. Thomasi.
R. J. U. Mayer.
9. de Antipelargia ^{non} ^{ind} ^{listro} ^{strop} ^{fl} ^{gung} ^{am} ^{tr}
^{und} ^{vol} ^{ob} ^{ter} ^{fel} ^{tr}. N. Passavant. R. G. Heudner.
10. de decreto intermissio. S. Stryk. R. F. Stryk.
11. de anno gratiae ^{non} ^{quadr} ^{jahr}. S. Stryk. R. F. Scheem-
beccius.
12. de jure constituti possessorii. G. Werner. R. J. M. Unver-
fähr.
13. de jure hereditario et remediis pro eo competentibus.
H. Hahn. R. J. K. Löve Korn
14. de Scto Macedoniano. J. L. Lang.
14. b. Securita quaestionum controversarum. S. Mosbachig
R. J. S. Opel.
14. c. Synopsis 8 Libr. polit: Aristotelis. J. Scheffer. R. M. B. Pleicy.
15. de jure protocolii. S. Stryk. R. S. H. Tresch.

16. de causis feudilibus, no. Esnebais. H. Eyben, & H. W. Trishoff.
17. de juribus aetatum C. Klengel, & S. C. Nymann.
18. de reputatione Et. Schrödter. J. Schmidt.
19. de jure tortii. J. Merger, & D. Terber.
20. de Interdictis in genere et in specie de interdictis
retinendae possessionis uti possidetis et utrobi.
G. H. Struv. & H. Conringk.
21. de Et caetera. Stryk & C. Seidel.
22. de jure salariorum. L. Strausf. & G. H. Marckgräb.
23. Iniquitas magni exempli sive de sententis ex
plētitudine potestatis profectio no. Mauff-
strüß. Phil. Müller. & I. O. Stapenig.
24. Sylloge variarum literarum no. altosandbrist
auth. F. Geisler, & I. Cadaeg.
25. de literis natalitatis no. Gibrisstbrist
H. Linck. & L. C. Tham.

Sammlung
St





DECURIA 174. 6. 15
QVÆSTIONUM CONTROVERSARUM

quam

D. O. M. A.

Decreto & autoritate

Amplissimi Iureconsulto-
rum Ordinis.

SAMVEL MOSBACHIVS

I. U. D.

Publicè ventilandam proponit.

Respondente

IOHANNE GEORGIO OPELL.

*Ad diem 11. Julij in audito-
rio Jctorum.*

Hora VII. matutinâ.




LIPSIÆ,

Excudebat Laurentius Cober.

Anno M. DC. XVI.

M
43



*Amplissimis & prudentissimis
viris*

Dn. Petro Heinsen / inclutæ Lipsiensis Reipub.
senatori laudatissimo.

Dn. Mathiæ Peren }
& } mercatoribus apud Lipsien-
Dn. Danieli Retwigk } ses primariis.

*Dnn. affinibus, fautoribus & Pa-
tronis suis summè colendis,*

Has conclusiones juridicas

*In studiorum suorum testimonium; debitaq;
observantia ac grati animi argumentum*

Dicat & dedicat

Johannes Georgius Opell.
Dreidens.



QVÆSTIO. I.

QUoniam juxta Scævolum (a) vetustas magnam præ se ferat, auctoritatem: Veterem illam quæstionem primordij loco proponimus: Num mutuum eo in casu contractum censeatur, si debitor eosdem nummos, quos mutuo accepit, quia iis forte non indiget, restituat? Et nihilominus mutuum esse ac mutuatarium solvendo liberari contra Azonem asserimus, (b) in tantum, ut creditori etiam invito eadem species reddi possit. (c)

a) in *L. final. ff. de aq. & aqu. plu. arcend.* Videatur Alciatus in *tract. de V. S. lib. 1. fol. mihi 31. & ad l. 1. ff. si cert. petat n. 52.*

b) *Per text. L. 2. §. 1. ibi:* quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem magis quam specie *ff. de reb. credit. Anton. Augustin. lib. 4. Emendat. c. 8.*

Accedit ratio, quod in contractibus non spectemus eventum *L. sed an ultro 10. §. 1. in fin. ff. de negot. gest.* Sed initium *L. procuratorem 8. in princ. ff. Mandat. L. 1. §. si servus 30. ff. Depositi L. si id quod 58. §. si filius familias 2. ff. pro socio.* Sufficit igitur in mutuo contrahentes eam intentionem ab initio habuisse, ut idem in genere restitui debeat, licet ex post facto eadem species reddatur. *Zasius ad L. 2. ff. de reb. credit. n. 9.* Maxime cum ea quæ ex inopinato sive ex accidenti fiunt, naturam & substantiam rei non immutent *L. generaliter 24. §. quod si 16. ff. de fideicommissar. libertat.* Et quæ ab initio ritè facta sunt, ex actu succedenti infe-

ita fieri non possint, L. 1. § si vir uxori. 4. ff. de acquir. vel amittend. poss. Alciat. ad l. 2. ff. de reb. credit. n. 5.

c) Moller. lib. 3. semestr. c. 1. Mutui enim conventio, & ut aliud in genere redderetur, non creditoris, sed debitoris favore constitutum est. Nihil igitur prohibet, quo minus is juri pro se introducto possit renunciare arg. l. si iudex 41. ff. de minor. L. penult. C. de pact. Nec creditori per hanc speciei solutionem ulla infertur injuria: Consequitur enim eo ipso juxta naturam & finem mutui rem ejusdem generis, & bonitatis, nec deterioratam, nec item aliud pro alio, Donell. ad tit. ff. de reb. credit. n. 5.

II.

Actioni commodati num rectè obijciatur compensatio, non usquequaq; expeditum est: (a) Negativam hâc vice defendendam suscipiemus. (b)

a) Sibi ipsi enim in hâc quæstione contrarius est Cujacius in suis interpretat. ad lib. 2. recept. sentent: Pauli. tit. 12. §. fin. si conferatur cum lib. 9. observat. 37. & in not. posterior. ad §. in bonæ fidei Inst. de Action. n. 52. nec non Hottomannus, lib. 12. observat. c. 20. si conferatur ad tit. ff. de Compensation. juxta editionem Lugdunensem fol. mihi 250.

b) Tum propter textum satis perspicuum in l. ult. C. de Commodat. Tum propter firmissimum juris principium, quòd sola quantitatis ad quantitatem valeat compensatio l. si non sortem 26. §. si centum 4. ff. de Condict. indeb. l. si convenerit. 18. in pr. ff. de pignorat. act. l. si constat. 4. C. de Compensat. Congruit etiam hæc sententia ipsi naturæ actionis commodati, quæ est, ut commodatarius finito usu de re ipsâ commodatâ restituendâ teneatur l. sed mihi videtur. 3. §. si reddita. 1. ff. Commodat. §. item is cni. 3. Instit. quib. mod. re contrah. obligat. Hinc Donellus ad l. ult. C. de Commod. n. 2. Commodantem ita instruit, ut is ad commodatarium compensare volentem dicere possit: Si quid tibi debeo, age adversus me, nunc hoc redde quod constat te accepisse.

Depo-

III.

Deponentem in repetitione speciei depositæ, adhuc extantis, (a) omnibus creditoribus, non solum hypothecariis, sed & privilegiariis, (b) imò muliere dotem exigente, (c) potiozem esse, cum Vaudo (d) non sine juris autoritate tuebimur.

a) Per *l. si ventri. 24. §. in bonis 2. versic. Si tamen nummi ff. de reb. author. jud. possid.* Quid si res deposita amplius non extet? Tunc iis tantum creditoribus, qui personale habent privilegium, est præferendus, *d. §. 2. ibi. post privilegia potiozem. Daniel. Moller. lib. 1. Semestr. c. 26. n. 3. & ad Constitut. Elector. 28. part. 1. n. 75.* Nec enim deponens tacitam hypothecam seu jus aliud reale habet, cum inter plures deponentes concurrentes non habeatur ratio temporis, sed omnes simul pro ratâ concurrant, *l. si hominem 7. §. fin. ff. Depositum & argt. l. privilegia 32. ff. de reb. author. judic. possid. Strach. de decoctorib. part. ult. Rub. 7. qui pot. in bonis decoct. hab. n. 2. & seq.*

b) Per *l. si hominem 7. §. quoties. 2. ibi. & ante privilegia ff. depositum.* Cui suffragatur ratio, quod res deposita illicò sine mora restituenda, nec ulla exceptio, vel compensationis, vel doli, vel hypothecæ, vel similis juris, ejus restitutionem impedire possit *l. penult. C. depositum. Nov. 83. c. 1.* Imò jure separationis bona sua ante omnes alios creditores, deponens recipit argumento *l. 1. C. de privileg. fisci.* Præterea apud deponentem rei depositæ proprietates non solum, sed & possessio remanet. *L. licet. 17. §. rei. 1. ff. depositum. §. possidere. 5. Inst. de Interdict. l. deposui 38. in pr. ibi. cum mea maneat. ff. de pecul.* Perquam igitur iniquum esset, aliquem rei suæ dominio, nullo facto suo defraudari, *L. cum mandati. 12. C. Mandati. l. id quod nostrum. 11. ff. de R. I. aliumq; præferri l. 1. §. idem Pomponius 7. ibi. etenim nobis magis debent solui. ff. Naut. Caup. Stabuli. ut recept. restit.*

c) Cum enim depositum eo in casu ante privilegia ponatur *d. l. hominem 7. §. 2. ff. depositum.* causa verò dotis sit una ex privilegiatis causis *l. unic. C. de privileg. dot.* non immeritò depositum

tum causæ dotis præferetur. Semper enim potentius privilegium aliis minoribus privilegiis præponitur. Bartol. in *Auth. quas actiones C. de SS. Eccles.* Sic anteriores hypothecarij vincunt mulierem in dote juxta *L. assiduis C. qui pot. in pignor.* Depositum vero vincit non solum hypothecarios, sed & privilegia *d. l. 7. l. 24. §. 2. in fin. ff. de reb. author. jud. possid.* E. multò magis vincit ipsam mulierem, ex vulgata illa regula: Si vinco vincentem te, multò magis vinco te, *L. de accessionib. 14. §. & si mihi. 3. ff. de divers. & temperal. præscript.*

d) *Lib. 1. quæst. 21. versic. incurrit. hic & alia.*

IV.

Indubitati Juris est, eum qui pecuniam ob restitutionem (a) ædificij mutuam dedit, tacitam ex Scto habere hypothecam: (b) An verò id ipsum ad eum, qui ad extruendam vel reparandam navem credidit, porrigatur, dissentientes sunt opiniones. Negativa magis placet. c.)

a) Nec est quod cum Cujacio *lib. 10. respons. Papinian.* inter restitutionem & refectioem distinguamus. Nam & is qui reficit, restituit *l. qui tamen. 10. §. non tantum 10. ff. quib. mod. usus fruct. amitt. ibi. si testator alias novas restituerit.* Restituuntur ergo ædes etiam non novæ, aliàs particula, novæ, per pleonasmum esset apposita. Sic in *L. usufructu legato 2. §. quoniam 2. versic. hactenus ff. de Usufruct.* refici dicuntur etiam ea quæ vetustate corruerunt. Plures textus ubi restituendi reficiendiq; vocabulis Ulpianus promiscuè fuerit usus refert Robert. in *notis ad notat. Mercator. lib. 3. cap. 14. in fin.*

b) *L. 1. ff. in quib. caus. pign. vel hypothec. tacit. contrah. l. si ventri. 24. §. 1. de reb. auth. jud. poss. l. creditor. 25. ff. de reb. cred. l. 52. §. 10. ff. pro socio. Myns. cent. 1. obs. 60.* Ratio huius Scti in evitandâ oppidorum deformitate consistit. Hottom. *ad tit. ff. in quib. caus. pig. vel hypoth. tacit. cont.* Reipublicæ enim interest factas ædificasq; habere domos, Civitatisq; aspectum ruinis non deformari, *L. prætor ait. 20. §. si quis. 17. & l. ult. ff. Ne quid in loc. publ.*

vel

velit. l. praeses provinciae 7. ff. de offic. praesid. l. negotiandi 2. in fin. &
l. si is 5. ibi. memor juris publici C. de aedific. privat. Et ad decus
urbium pertinet, aedificia non derelinqui L. Praetor ait 20. §. hoc
interdictum. 10. ff. de oper. nov. nuntiat. non dirui, l. 1. in pr. ff. de tign.
junct. non rescindi, §. cum in suo solo 31. Inst. de Rer. divis. Hinc ea
potius quae contra ornatum & commodum ac decoram faciem
Civitatis extracta noscuntur, diruenda sunt l. praescriptio 6. C. de
operib. public.

c) Quia hypotheca pactum est à mutui contractu separatum,
& proinde iis demum casibus interpositum intelligitur,
qui vel lege, vel speciali constitutione nominatim sunt introdu-
cti, l. 1. ibi: hypothecariam ipsa lege induci C. commun. de legat. l.
unic. §. 1. C. de rei uxor. action. Tacitum enim pignus nisi à lege de-
finitum, nullum est. Vultei. lib. 1. Jurisprud. Rom. c. 34. At hic id fa-
ctum non est, SCtm enim in l. 1. ff. in quib. caus. pign. tacit. con-
trah. strictè aedificij meminit. Ratio insuper SCti modò addu-
cta, tantum aedificiis, non etiam aliis rebus convenit. Ulterius,
qui tacitam habet hypothecam, non opus habet ut paciscatur,
cum lex pro eo paciscatur; At is qui in navem reparandam cre-
didit, expressè sibi de hypothecâ prospicere tenetur, si aliter cæ-
teris hypothecariis creditoribus velit praferri L. interdum 5. ff.
qui pot. in pign. hab. E. Legis auxilium, sive tacitam hypo-
thecam habere nequit, cum expressa & tacita hypotheca inter
se opponantur, nec altera per alteram possit comparari. Hinc
etiam, qui in navem reficiendam credidit, comparatur illi, qui
ad aliarum rerum refectioem credidit Nov. 97. c. 3. At ille qui
ad aliarum rerum refectioem credidit, non habet hypotheca-
m nisi expressè paciscatur l. quamvis 17. C. de pignor. l. licet 7. C.
qui pot. in pign. E. nec is qui in navem reficiendam credidit, hy-
pothecam habebit, nisi de eâ expressè sibi prospexerit.

V.

Non minus controversitur: Si stipulanti mi-
hi decem tu viginti respondeas, vel interrogatus
de viginti promittas decem, an utilis sit stipulatio?

Et uti-

Et utilem esse quo ad partem concurrentem, quo ad summam vero excedentem esse inutilem, cum Donello defendere conabimur.

Textus est in terminis ita decidens in *l. 1. §. si stipulanti. 4. ff. de V. O.* Rationem decidendi ipse Ulpianus in eodem §. statim subjicit, illis verbis: *Licet enim oportet congruere summam, attamen manifestissimum est, viginti & decem inesse.* Unde rectè inferitur: Majori summæ inest minor. E. si viginti stipulanti, promittas decem, etiamsi non illicò placeat responsionis diversitas, in decem tamen contracta erit stipulatio, Et vice versa: Semper enim in summis id quod minus est, sponderi videtur, *L. inter stipulantiem. 83. §. 3. ff. de V. O.* Accedit & illa ratio: quod utile, per inutile non debeat vitari *d. l. 1. §. sed si mihi §. in fin. ff. de V. O. c. utile. 37. de R. l. in 6to.*

VI.

Beneficium exceptionis non numeratæ pecuniæ, per Renunciationem, in ipso contractu, (a) à debitore factam, efficaciter adimi non posse verius est. (b)

a) Secus igitur est si ex intervallo sequeretur hujus exceptionis renunciatio *l. cum fidem. 4. C. de non num pecun.* Giphanius in *tract. de Renunciat. c. 7. fol. mihi 67.* & ibidem Dalnerus *c. 6. n. 54.* Cessat enim tunc illa renunciantis facilitas, siquidem debitor maturè deliberare possit *Covarru. lib. 2. var. resolut. c. 4. n. 3.*

b) Introducta enim est non numeratæ pecuniæ exceptio, ad occurrendum facilitati debitorum pecuniâ indigentium; At ex juris præsumptione debitor ære alieno gravatus, eadem facilitate creditur renunciare huic exceptioni, quâ se accepisse fatetur id, quod numeratum nunquam fuit *argumento L. si mulier 22. C. ad SC. Vellejan. Moller. ad Constit. Elector. 19. part. 2. n. 55.* Certi insuper juris est, quod pacta, quibus aperitur fenestra delinquendi & occasio alterum defraudandi, nullius momenti sint, *l. illud. 5. ff. de pact. dotal.* Sed per hanc renunciationem, creditor consequitur illam occasionem, vel planè non, vel non totas numerandi

merandi pecunias. Imò eo ipso invitatur ad delinquendum & defraudandum suam debitorem Matthias Coler. *part. 1. de process. Execut. c. 10. hodi. n. 236.* Quinimò in istâ renunciatione dolus futurus creditori remitti videretur *contra l. Contractus 23. ff. de R. l. l. si unus 27. §. illud 3. ff. de pact. Zanger. in tract. de Except. part 3. c. 17. n. 27.*

VII.

De annuis redivibus frequens est disceptatio, an eorum venditio utpote usuraria improbata sit, nec ne? Nos eam legibus (a) & moribus (b) licitam arbitramur.

a) *L. jubemus 14. §. fin. C. de SS. Eccles. Novell. 72. c. si verò versic. licebit. Novell. 160. c. 1. & 2. Xvragantibus communibus de Empt. & Vendit. Clement. 1. de reb. Eccles. non alienand.* Hisce textibus accedit ratio quod substantialia Emptionis & Venditionis pura, consensus merx & pretium hinc interveniant Matth. Stephan. *Centur. 3. quæst. 62.* Imò in hujusmodi emtione annuorum reddituum jus potius percipiendi emtum venditum censetur. *Covarruu. lib. 3. variar. resolut. c. 7.*

b) Hinc, quod emtio annui census, tam super incertis quam certis fundis & rebus contracta valeat, generali non solum Germaniæ consuetudine receptum esse, sed & in Camera ita observari testatur *Gail. lib. 2. obs. 7. n. 13.* Quia vero in probi fœneratores hac occasione imperitis imponere & constitutas de jure Civili usurarum metas facilius excedere cæperunt, prout sentit *Molinaus in tract. de Usur. n. 69.* Ideò ab Imperatore Carolo V. in Augustanis Comitibus de Anno 1530. & anno 1548. sub. tit. *Von Bucherlichen Contracten saluberrimè constitutum est, ne ultra quincunces in singula centena recipiantur.* Approbat Elector Augustus im *Torgawischen Ausschreiben Anno 83. sub. tit. Von Bucher / Bucherlichen Contracten / vnd Parthiten / auch von nachgelassenen Zinsen.*

B

Con-

VIII.

Conductor quidam in usu rei locatae ipso facto Locatoris fuit impeditus, ac propterea à toto contractu vult discedere, quæritur an possit, maxime si locator interesse & omne damnum offerat? (a) Et ex justa ac probabili causa, (b) à toto etiam contractu rescilire posse conductorem, verius putamus. (c)

a) Quam quæstionem maxime dubiam & controversam appellat Hieronymus Pantzschman. in suis quæstionib. practicabilib. lib. 1. quæst. 15. n. 43.

b) Puta si Colonus expulsus fuerit per locatorem & in aliam coloniam se contulerit. *L. si in lege 24. §. colonus 4. ff. Locati.*

c) Per *L. si merces 25. §. si vicino 2. ibi. certè quin liceat Colono vel inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio est ff. locati.* Quem textum August. Bero. vol. 1. Conf. 140. incip. in causa conductorum n. 13. appellat clavem in hac materiâ ad probandum conductorem impeditum in usu rei rem conductam deserere posse. Idem probat. *L. dominus horreorum 55. §. fin. ibi. sine justa ac probabili causa desererit. ff. locat.* argumento ducto à contrario sensu. Accedit ratio quia & locator ante effluxum locationis tempus ad restitutionem rei locatae ex justâ causâ rectè agit. *l. ade. 3. C. Locat. c. propter. 3. §. fin. X. de Locat. conduct.* Idem igitur juris erit in conductore, ex naturâ correlativorum, & quia æqualitas inter contrahentes est servanda per jura vulgata.

IX.

Quomodo in materiâ Societatis Ulpianus in *L. sunt qui 16. ff. de re judicat.* Ulpiano in *L. verum, 63. ff. pro. soc.* sit conciliandus, valdè desudant inter-

interpretes: (a) Julij Pacij distinctioni subscribi-
mus. (b)

a) Quidam enim inter æquitatem & jus strictum di-
stinguunt, VVesenbec. & Hottoman. ad §. sed & si quis. Inst. de
Action. Alij existimant, duo ista responsa Ulpiani non esse con-
traria, sed saltem diversa: Duaren. ad l. sunt qui. 16. ff. de re Judic.
Donell. lib. 27. Comment. c. 9. Zasio videtur Ulpianus alibi al-
bum, alibi nigrum asserere: Sunt qui in d. l. 16. particulam im-
plicativam, Maxime, subaudiendam censent, Bartol. & Dd. com-
muniter in d. l. sunt qui. 16. quam conciliationem Jason, ibidem
miserorum refugium appellat: Non desunt qui textum illum
d. l. 16. prorsus corrigunt. Marq. Freher. lib. 1. parerg. c. 5. Leon.
lib. 6. Emend. c. 14. Aliter deniq; istam antinomiam conciliat
Petr. Perennon. lib. 2. animad. c. 12.

b) Centur. 4. quæst. 100. quem sequitur Vultei ad §. sed & si
quis. Inst. de act. n. 15. & ibid. Coras. n. 2. Ratio diversitatis in ista
distinctione assignari potest hæc, quod beneficium competen-
tiæ fundetur in jure fraternitatis, l. verum. 63. ff. pro socio. Ubi igitur
fraternitas generalis, ibi & beneficium hoc generale, ubi ve-
ro limitata, ibi & beneficium hoc limitatum esse consequens est.

X.

Numerum thesium concludat trita illa quæ-
stio: Si quis mandet hominem vulnerari, expressè
protestando, ne occidat, mandatarius verò fines
mandati excedendo, eum occiderit, num mandans
poenâ homicidij ex L. Corneliâ de sicariis tenea-
tur? De occiso eum nullatenus teneri, juri & æqui-
tati magis est consentaneum.

Tum, quod in omnibus maleficiis animus & voluntas
non verò exitus spectetur, l. 1. §. divus. Adrianus. 3. & l. divus. 14.
ff. ad L. Cornel. de sicar. L. qui injuria. 53. in pr. ff. de furtis.

B 2

Tum,

Tùm, quod in delictis poenam corporalem infligentibus
lata culpa non perinde puniatur ut dolus, sed ipso effectu à dolo
separanda sit. *L. in lege 7. ff. ad L. Cornel. de sicar. L. cum autem. 23.
§. excipitur 2. ff. de Aedilit. Edict. L. Senatusconsulto. 3. C. de his qui
sibi ascrib. in testam.*

Tùm, quia delicta suos debent tenere authores, *l. crimen.
26. ff. de pœnis l. sancimus 22. C. eod. tit.*


Tùm deniq; , quod non semper qui mortis causam præ-
buit, ultimo supplicio sit afficiendus, *l. ejusdem. 3. §. ad Elio. 2.
ff. ad L. Cornel. de Sicar. L. item Mela. 11. §. Celsus scribit. 3. & L. huius
scriptura. 15. §. 1. ff. Ad. L. Aquil.*


C O R O L L A R I U M.

An commune Juris Saxonici axioma: Major
dividere & minor eligere debet; procedat etiam in
eo casu, quando tres relictæ fuerint heredes,
& ante divisionem unus eorum
obierit?


F I N I S.

















94 A 7374


ULB Halle 3
002 181 371




56.

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13


R I A 14.6. 15
NTROVERSARUM

A. A.
uthoritate
reconsulto:

SBACHIVS
D.

am proponit.
ente
GIO OPELL.

i in audito-
n.
atutinã.



I Æ,
entius Cober.
XVI,

M 43

